

PSEUDO-BOETHIANA*

Severini Boethii *Commentarios in Topica Ciceronis* notum putamus iniuria saeculorum ita esse mutilatos ut extrema eorum pars, dimidio fere sexto libro et toto septimo scilicet constans¹, qua *Topicorum* §§ 76b-100² explicabantur, prorsus defecerit. Codex autem Parisinus 7711 saec. X³, unus inter omnes qui opus illud nobis tradiderunt, ff. 47^v-49^r particulam continet a Carolo B. Hase inventam atque primum editam⁴, quae Boethii *Commentarios* ultra eum locum continuans quo in reliquis codicibus abrumpuntur duorum fere capitum *Topicorum* (20, §§ 76b-77) explicationem nobis rettulit, de cuius fide Ioannes G. Baiter primus dubitavit⁵ quamque Thomas Stangl plu-

* Istius articuli prior pars in Italicum sermonem iniquo animo a nobis versa iam edita est in «Schede Medievali» 10, 1986, pp. 87-90, cui postea in iisdem commentariis periodicis (14-15, 1988, pp. 69-72) aliud scriptum accessit, quod inscribitur *Ancora sull'appendice pseudoboethiana* in *Topica Ciceronis del codex Parisinus Latinus 7711*.

1 *Commentarios in Topica Ciceronis* septem libris constitisse testatus est Boethius ipse (v. *De differentiis topicis*, PL 64 1173 d).

2 Id est a verbis *Huius etiam generis est fama vulgi* eqs. usque ad finem.

3 Codicem, qui saeculi XII antea putabatur, ad saeculum X pertinere affirmavit B. Munk Olsen; cfr B. Munk Olsen, *L'étude des auteurs classiques latins au XI et XII siècles* (Documents, études et répertoires publiés par l'Institut de Recherche et d'Histoire des Textes), Paris 1982, t. I, p. 264.

4 Anicii Manl. Sev. Boethii *De diis et praesensionibus ex ipsius commento in Topica Ciceronis fragmentum*, apud J. L. Lydi *De ostentis quae supersunt*, Parisiis 1823, pp. 343-356; quam editionem Ioannes C. Orelli et Ioannes G. Baiter ad litteram secuti sunt, et in textu et in commentario critico ad locum nullam omnino inducentes mutationem: v. *M. Tullii Ciceronis scholiastae* [...], (=M. Tullii Ciceronis *opera quae supersunt omnia* ex recensione Io. Casp. Orellii, vol. V.1), edd. Io. Casp. Orellius et Io. Georgius Baiterus, Turici 1833¹, pp. 389-395.

5 Ille enim iteratis curis locum edens notavit: «A Boethii dicendi genere longe abhorret» (ed. alt. vol. IV, p. 227) [Qua de re, cum librum hunc inspicere non potuerimus, Thomae Stangl testimonio utimur: «Erst bei ausarbeitung des dritten teiles bemerkte ich, dasz Baiter nach 30 jahren in der zweiten Züricher ausgabe IV s. 227 z. 10 von einem pseudo-Boethius spricht: 'nam a Boethii eqs.'»; v. Th. Stangl, art. cit. sub n. 5, p. 193 sub n. 2].

rimis argumentationibus, non omnibus ad persuadendum aptis, Boethio conisus est abiudicare⁶.

Nos vero praesenti tempore iudicium de hac re in posterum differentes in versum quendam Graecum laudatum a Pseudo-Boethio (liceat nobis auctorem illius particulae ita nuncupare, quamvis quaestionem in suspenso reliquerimus) mentem intendamus. Quem quidem versum cum ad illam particulam pertineret, Carolus B. Hase, sicut diximus, primus repperit, descripsit, restituere temptavit. Nobis autem totam loci sententiam intelligere cupientibus considerandum est etiam quibus verbis inseratur versus ille; quae omnia, ut emendationum praeterito saeculo a doctis viris propositarum reddamus rationem, ex Caroli B. Hase editione sumere nos oportet⁷:

Ab hac deorum oratione verbi gratia ita ducitur testimonium ut, si de Socratis excellentia dubitetur, illo Pythii oraculi vaticinio omnis dubietas abstergetur:

AINOC. ANIP. TA. KAKA. KAE. ENANTIA. EPIOI ZOI

Versum saltem ea parte qua metrum abrumpitur manifeste corruptum viri docti emendare alii aliter conati sunt. Inventor, quamvis se fateretur operis difficultatem non latere, praesertim cum de oraculo Socratico restituendo (quod nullo alio ex fonte verisimiliter innotuisset⁸) agi videretur, priore parte formulam Homericam, quae dicitur, agnoscere volens, altera litterarum formas, quoad potuit, servans, locum ita corrigendum praesumpsit:

Κεῖνος ἀνὴρ τὰ κακὰ καὶ ἐναντία ἐστὶ πορίζων

Illi qui post Carolum B. Hase in versum emendandum incubuerunt, licet ab eo parum discederent, verbum temporale πορίζειν, quod ineptum existimaverunt, substituerunt. Mauritius Haupt, Boethium ipsum memoria deceptum suspicatus verba mutavisse, ita scribendum duxit⁹:

⁶ Cfr Th. Stangl, *Pseudoboethiana*, in «Jahrbücher für klassische Philologie» 127, 1883, pp. 193-208 et 285-301.

⁷ Vel ex priore M. Tullii *Scholiastarum* editione (v. supra, sub n. 3), p. 394. Quantum ad versum Graecum pertinet, ex apparatu critico qui dicitur lectiones depromimus quas Carolus B. Hase in codice invenisse se dicit, Latina autem verba ex textu ipso quem constituit.

⁸ Verba enim quae scholiasta in Aristophanis *Nubes* (v. 144) ipse suspecta habens ampliore forma nobis tulit fide digna non sunt.

⁹ Cfr M. Haupt, *Coniectanea*, in «Hermes» 6, 1872, p. 389.

Κεῖνος ἀνήρ τὸ κακὸν τό τ' ἐναντίον ἐστὶν ὀρίζων

Thomas Stangl vero, qui ad suam emendationem confirmandam locos nonnullos e Platonis dialogis excerptos attulit, codicis lectionibus pressius adhaerere ita maluit¹⁰:

Κεῖνος ἀνήρ τὰ κακὰ καὶ ἐναντία ἐστὶν ὀρίζων

Nos autem cum has parum inter se discrepantes emendationes a doctis viris propositas haud aptas putaverimus ad Socratis excellentiam demonstrandam (de qua loco a nobis laudato mentionem fieri obliviscendum minime est), antequam sententiam nostram de re incerta aperiamus, quae nobis ipsis patefacta sint codicem illum Parisinum inspicientibus referamus:

a) Verbum «si» et littera «ι» verbi «ANIP», quae librarius omiserat, ipsius manu, ut videtur, supra lineam addita sunt;

b) Litterae «α» verbi «AINOC», si ita legendum sit, non idem est ductus ac reliquis, cum sola capitalis, ut rei peritis placet, sit habenda; quae cum linea transversa insuper careat, etiam «λ» legi potest. Reliquae contra minusculae sunt, cum librarius formam litterae «a» scripturae Carolingicae, quam appellamus, imitatus sit;

c) Loco verbi «ENANTIA» plane legendum est aNANTia;

d) Verbum «ΕΠΟΙ» littera «ε» Latina incipit, loco Graecae «ε»; rasura in eo caput tantum litterae «ι», aliter ac Hase affirmavit¹¹, afficere non videtur, sed iuxta totam eius longitudinem decurrere; praeterea utrum «ΕΠΟΙ ΖΟΙ» duo verba sint an unius verbi partes dubitamus: deest enim punctum media altitudine positum quod alibi verba distinguere solet et spatium paulo longius quam id quod litteris interponi solet ex eo fortasse pendet, quod librarius litteram «ι» loco alicuius litterae quae amplius patebat substituit.

Quae cum ita sint, versum ita exactius describendum putamus:

AINOC·aNP·Ta·KaKa·Kae·aNANTia·EΠOΙ ΖOΙ

¹⁰ Cfr Th. Stangl, *Pseudoboethiana*, cit., p. 203-204.

¹¹ «Sic, adraso capite litterae extremae in ΠΟΙ non secus ac si prius ΠΟΡ fuisset» (v. M. Tullii Ciceronis *Scholiastae*, cit., 1833¹, p. 394).

Cui sequentem Iliadis (Λ 654) versum quem, ut dicturi sumus, apud Martianum Capellam invenimus laudatum, nulla amplius interposita mora comparari volumus:

ΔΕΙΝΟC ANHP· TAXA KEN KAI ANAITION AITIOΩITO¹².

Quomodo versus inferior ita corruptus sit ut superiorem effinxerit, si litterarum formas et sonitus (id est rem palaeographicam et phoneticam) consideres facillime demonstrabitur. Primum animadvertendum est eo tempore quo versus corruptum putamus (id est intra saeculum V et X) εἰ et η eodem modo prolata esse atque ι, αἰ (fere) eodem modo atque ε. Nunc autem uniuscuiusque verbi mutationes, ut necesse est, perpendamus:

ΔΕΙΝΟC ANHP → ΔΙΝΟC.ΑΝΙΡ: hinc patet primam litteram versus corrupti «α» non fuisse ab origine, quod, cum ab aliis differret, iam eramus suspicati;

TAXA KEN → Τα ΚΑΚα: simul atque ex «χ» factum est «κ» error in separandis verbis facile evenire potuit, unde verbum inter usitatissima totius linguae Graecae ortum sit; mirum non est ultimam syllabam («KEN») vel ob ceterarum sonitum mutatam esse vel propterea, quod librarius litteram «a» (videlicet pro «α») iam saepius delineaverat;

KAI → ΚΑΕ: mediam enuntiandi rationem inter antiquam recentioremq̄ hic fortasse testatam videmus;

ANAITION → ΑΝΑΝΤΙΑ: hic quoque anteriores litterae posteriorum mutationes induxisse videntur (ANAI → ΑΝΑΝ, Α-Α-ΟΝ → Α-Α-Α);

ΑΙΤΙΟΩΙΤΟ → ΕΠΟΙ ΖΟΙ: «τ» et «ι» litterae probabiliter ita coaluerunt ut simul «π» legerentur, duplex sonitus «οω» simplex factus est, post primam verbi partem corruptam, quae litteris «οι» desinit¹³, et pariter totius versus finis corruptus est ut sonitu simili desineret.

¹² Verisimile est in libro ex quo Pseudo-Boethius, sicut adfirmaturi sumus, versus descripsit tertium ι verbi ΑΙΤΙΟΩΙΤΟ adscriptum, haud omissum fuisse (v. infra, p. 214).

¹³ Si ita vere desinit: nos enim iam dubitavimus utrum de uno tantum an de duobus verbis agatur (v. supra, p. 209).

Clarum est in corrumpendo versu scriptionis menda duorum generum cummulata esse, quae eidem librario tribui minime possunt: errores qui ex litterarum sonitu primum, ut verisimile est, orti sunt, atque errores ab illo scriba additos qui de libro in librum signa sibi haud cognita transferens litteras, cum unius tantum alteriusve formam aspexisset menteque retinisset, velut pictor delineavit.

Nunc autem, ut opinioni fidem faciamus, illud nobis exponendum manet, undenam Pseudo-Boethius Homericum versum sumpserit quaque de causa Socrati convenire putaverit. Hunc Martiani Capellae adducentes locum ambas nos quaestiones soluturos confidimus:

Hanc igitur feminam [sc. Rhetoricam] [...] ingens illustrium virorum sequebatur agmen, inter quos proximi eidem duo diverso habitu nationeque praenitentes, quorum pallio circumactus <alter> alterque trabeatus. diversus utrique oris sonus, licet alius etiam Athenis se diceret Graia didicisse ac promptus gymnasiorum studiis et reluctantibus semper Academiae altercationibus haberetur. ambo tamen novi profectique paupertatis sinu, et cum alterum Quirinalis eques, alium fabrilis procrearet industria, ita praeclues linguae excellentia floruerunt, ut post curiarum fata immeritasque mortes virtute astra conscenderent, immortalitate gloriae saecla superarent. de uno tamen, quem Athenarum populus ac palliata agmina sequebantur, haec fama convenerat, quod acerrimus idem et procellis indignantis Oceani fremituque violentior. denique de illo versus huiusmodi ferebatur:

Δεινὸς ἀνήρ· τάχα κεν καὶ ἀναίτιον αἰτιόωτο.

alter vero, quem consularis purpura et coniurationis extinctae laurea redimibat, mox ingressus curiam superum et in Iovis gratulatus est se venisse conspectum, clamare laetior coepit: 'o nos beatos, o rem publicam fortunatam, o praeclaram laudem consulatus mei'. (Martiani Capellae *De nuptiis* V, 429-431).

Inter duos claros viros, quos Martianus Capella Rhetoricam sequentes induxit artificioseque ita expinxit ut et eorum animum inflaverit qui media quae dicitur aetate picturis codices ornaturi essent¹⁴, Cicero facile agnoscitur sui

¹⁴ Codex enim Leidensis Vossianus Q 33-I saec. X, codicis Parisini Latini 7711 fere aequalis (v. supra, sub n. 2), f. 1^v picturam continet quam Fl. Mütherlich exprimendam curavit atque commentatus est (cfr Fl. Mütherlich, *De rhetorica. Eine Illustration zu Martianus Capella*, in «Festschrift Bernhard Bischoff, zu seinem 65. Geburtstag dargebracht», Stuttgart 1971, pp. 200-206), qua mulier quaedam armata depingitur, quam Rhetoricam esse demonstrat sententia in scuto inscripta quod manu tenet; pone eam duo viri

ipsius laudem proferens, qui deorum concilio se interfuisse et in extremo II libro (ut videtur) *De temporibus suis* gloriabatur. Videamus autem an et Graecum virum agnoscere valeamus:

1) is, velut Cicero, fuit *homo novus* atque *profectus paupertatis sinu*;

2) *fabrili procreatus industria*;

3) *curiarum fata* cognovit et *immeritam* obiit mortem;

4) genus dicendi eius ita vehementia excellebat ut *procellis indignantis Oceani fremituque violentior* esset, ideoque clarus Homeri versus (Λ 654) de illo intelligi poterat.

De quonam ergo Graeco viro agitur? Quae sub nn. 1), 2) et 3) rettulimus et Socrati et Demostheni convenire possunt, cum uterque *homo novus* fuerit, si hoc et de viro Atheniensi dici potuit, atque haud ditissimo genere natus (neque autem utriusque familiae, verum si loqui volumus, inter pauperes adnumerandae); *fabrilem industriam* et Demosthenes maior, oratoris pater, qui faber aerarius erat atque armorum exstructor, et sculptor Sophroniscus exercuit; utriusque fata *curia* decrevit, quae Socratem capite damnavit, in qua Demosthenes, princeps γένους συμβουλευτικοῦ, suis orationibus exitium sibi praecipitavit; uterque *immerita* procubuit morte, alter dum custoditur Athenis alterque Calauriae in templo Neptuni; quod autem sub n. 4) posuimus, etsi Aristophanes in *Nubibus* exemplo nobis est et philosophum illum velut rhetorem quandam σοφιστήν effingi posse, qui sine ulla cunctatione «et inson-tem arguat»¹⁵, efficit ut credamus Martianum Capellam, antiquam rhetorum consuetudinem secutum, iuxta Ciceronem Demosthenem oratorem posuisse, cuius genus dicendi vehementiae nomen omnium consensu sibi acquisiverat; qua de re hos testes citare nobis liceat: Cic. *Or.* 234¹⁶ (a Quintiliano, *Inst. or.* IX 4, 55, laudatum); Quint. *Inst. or.* X 1, 76; Plut. *Cic.* [σύγκρισις Demosthenis atque Ciceronis] 50, 2-4; Pseudo-Long. *De subl.* 12, 2.

Hoc autem argumentum vel maximum putamus ad demonstrandum Homeri versus Demostheni convenire posse, quod versus ille adiectivo δεινός incipit, quod, sicut vocabulum δεινότης ab eo derivatum, progrediente tempore, Attica Graecitate iam aurea, vim atque significationem rhetoricam assumpserat qua in Homeri poematis certe non pollebat¹⁷, quae autem in rheto-

incedunt qui *ingens illustrium virorum agmen* praecedunt, uterque φυλακτήριοιον portans: prioris a parte sinistra hanc fert inscriptionem: *O nos beatos, o rem publicam fortunatam, o preclaram laudem consulatus mei qui coniuratos ciues oppressi*, alterius *Iliadis* versus nobis iam pernotum (aliter autem corruptum) fert.

15 «Et haud culpabilem culpet» vertere malle, si Latine dici posset, ut figuram etymologicam, quam dicunt, servemus.

16 Hic animadvertendum est de Demosthenis *fulminibus* mentionem fieri, quod nobis *procellas* in mentem revocat de quibus Capella dixit.

17 Inter exempla antiquissima v. Soph. *Oed. rex* v. 545.

ricis tractatibus saepius reperitur. Quae cum ita se habeant, apud Quintilianum, Plutarchum atque in nonnullis tractatibus aetate Romana quae dicitur lingua Graeca conscriptis de rhetorica arte scriptum invenimus δεινότητα, atque etiam δεινώσιν, verbum huic adfines, Demosthenis dicendi generis proprias fuisse:

Haec est illa quae δεινώσις vocatur, rebus indignis, asperis, invidiosis addens vim oratio, qua virtute praeter alias plurimum Demosthenes valuit. [Quint. *Inst. or.* VI 2, 24].

Ὑπερβαλόμενος [sc. Δημοσθένης] ἐναργεία καὶ δεινότητι τοὺς ἐπὶ τῶν ἀγῶνων καὶ δικῶν συνεξεταζομένους [Plut. *Cic.* 50, 2].

Ὁ μὲν γὰρ Δημοσθένης [sc. genus dicendi] ἔξω παντὸς ὠραιοῦ καὶ παιδιᾶς εἰς δεινότητα καὶ σπουδὴν συνηγμένος οὐκ ἔλλυχνίων ὄδωδεν [Plut. *Cic.* 50, 4].

Ὅτι Δημοσθένης δεινότατος ὢν ἐν ταῖς ἀντιθέσεσιν οὐκ ἀεὶ τῇ τέχνῃ ἐμμένει, ἀλλ' αὐτὸς γίνεται τέχνη πολλάκις. [Ἐκ τῶν Λογγίνου, 5¹⁸].

Quam ob rem certum arbitramur Martianum Capellam, cum adiectivum δεινός rhetorica significatione intellexisset, versum *Iliade* excerptum (qui probabiliter in consuetudinem proverbii iam venerat¹⁹) Demostheni, non Socrati, rettulisse, Demosthenem ita iuxta Ciceronem ponentem, non tantum Quintilianum atque Plutarchum in hoc imitatum, verum etiam alios plurimos auctores de rhetorica qui parem gloriam consecuti non sunt.

Id autem quod Demosthenem Socratis loco agnovimus nullo modo obstat quominus putemus incertum auctorem, quem Pseudo-Boethium nominavimus, *Iliadis* versum a Martiano Capella sumpsisse, cum loco a nobis laudato Socratem, non Demosthenem effingi perperam ratus esset. Quibus de causis verisimile sit eum erravisse, similitudine quadam conturbatum²⁰, iam fusius demonstravimus; nunc autem ad totam ratiocinationem confirmandam Graeco

18 In *Rhetores Graeci* ex rec. L. Spengel, Leipzig 1853, vol. I, p. 214.

19 Versum enim plurimis locis citatum invenimus: cfr Cic. *Ad Atticum* XIII, 25, 3; Plut. *Adul. et am.* 67a [professori Ianuario D'Ippolito gratias agimus qui locum nobis indicavit]; Polyb. *rhet. In rhet.* VIII, 615, 21; Eustat. *In Il.* Λ 652, *In Od.* υ 135; Hanna Comnena in *Alexiadis* prologo.

20 Ut ipsius Ciceronis verbis utamur (*Top.* 7, 31).

versui sicut e codice Parisino descripsimus²¹ lectionum varietatem supponamus quam codices Martiani Capellae eo de quo disseruimus loco ostendunt²²:

ΔΙΝΟC·ANP·Ta·KaKa·Kae·aNANTia·EΠOIZOI. Ps.-B.

ΔΙΝΟC ANHP TAKAKE KAI ANATIAN HITOITO. C^{ac}

ΔΙΝΟC ANHP TAKAKA KAI ANANTIA HΠOITO. C^{pc}

ΔΙΝΟC ANHP TAKAKE KAI ANATIΩN HITOITO. E

ΔΙΝC ANHO TAKAKE KAIM ANATIΩN HTHITO. L^{ac}²³

ΔΙΝC ANEP TAKAKHN EPIZIKAI ANANTIA EΠOIZO. L^{pc}

Ex quo conspectu manifeste apparet lectiones fere omnes quas apud incertum auctorem vidimus etiam in codicibus Martiani Capellae (praesertim C^{pc} et L^{pc}) inveniri, ex quibus ille versum iam irreparabiliter corruptum litterarum formas imitatus velut pictor descripsit. Quae cum ita sint, sine ulla dubitatione affirmandum est Boethium eorum capitum quae versum continent non esse auctorem: fuerit sane Boethii tempore versus ille iam ita corruptus (quod tamen haud facile concedi posse nobis videtur), quomodo fieret ut philosophus ille, qui difficillima Graecorum philosophorum opera in Latinum sermonem iam verterat, Graeca verba non amplius intellegibilia manifesteque corrupta in suum opus transferret? Arbitrandum est sciolum quendam qui capita illa post Boethii *Commentarios* additurus esset, cum Graecum versum (quem apud Martianum Capellam legerat) non intellexisset, cumque iis verbis

21 Cfr p. 209.

22 Varias lectiones quae sequuntur selegimus ex apparatu critico editionis J. Willis (v. Martiani Capellae *De nuptiis Mercurii et Philologiae*, ed. J. Willis, Leipzig 1983, p. 150). His codicum siglis utemur:

E Codex Vesontionensis bibl. munic. 594 (saec. IX);

C Codex Parisinus 8669 (saec. IX)

C^{ac} codex C prioris manus lectionibus adhibitis

C^{pc} codex C alterius manus (ubi praesto sint) lectionibus adhibitis;

L Codex Leidensis bibl. univ. 87 (saec. IX)

L^{ac} codex L lectionibus in margine adscriptis non adhibitis

L^{pc} codex L lectionibus in margine adscriptis (ubi praesto sint)

adhibitis;

23 KAIM lectionis incertae, sicut notavit Willis.

deceptus quibus versus adduceretur opinatus esset se clarum illud oraculum *de excellentia Socratis* repperisse, id propterea descripsisse.

SUMMARIUM – *Graecum versum lectionis corruptae in illa laudatum particula Commentariorum in Topica Ciceronis quam codex Parisinus Latinus 7711 (saec. X), Boethii opus ultra eum locum continuans quo in ceteris codicibus abrumpitur, unus nobis tradiderit, ex Iliade (Λ 654) oriundum eundemque iam eo modo corruptum a Martiani Capellae codicibus esse translatum, neque fieri posse ut Boethius, qui Graecum sermonem optime calleret, istius rei particeps fuerit, auctor vobis legentibus conor persuadere.*

Giorgio Di Maria

Editione hac electronica typothetarum menda nonnulla correximus:

- p. 209 l. 1: τó ... τὸ > τὸ ... τό*
p. 210 l. 18: videlicet > (videlicet
p. 212 l. 27 2). > 2.
p. 213 l. 33: Polib. > Polyb.

Praeterea usum compendiorum 'p.', 'pp.' certam ad normam redegimus.

intellectu p̄plexa q̄nq̄si p̄spicua q̄b; dā exadā
r̄ructat infania. q̄. ueiui uiue ai q̄. e. p̄. s̄. i. i.
ā oracula. I fapa uicorco dicit p̄. r̄. u. a. i. a. p̄.
duca r̄. t̄. t̄. o. n. i. u. u. i. d̄. e. b̄. e. r̄. a. t̄. i. s̄. e. x̄. c̄. e. l. l̄. e. n. t̄. i. a. d̄. u. b̄. i. t̄. i.
ΑΝΘ. ΑΝΡ. Ε. ΚΑΒΑ. ΚΑΕ. ΑΝΝΙΑ. ΤΙΟΙ. Σ.
u. i. n. g. l̄. i. s̄. c̄. o. l. l̄. o. c̄. a. h̄. y. l̄. e. m̄. e. u. q̄. u. e. d̄. i. t̄. a. r̄. u. i. n. l̄. u. c̄. t̄. u. q̄.
q̄. u. i. t̄. a. l̄. o. c̄. u. i. t̄. ; i. p̄. s̄. o. x̄. & e. l̄. e. m̄. e. n. t̄. o. x̄. d̄. i. s̄. t̄. e. n. t̄. a. p̄. a. r. c̄. i. e.
t̄. e. r. r̄. e. m̄. i. c̄. i. o. n̄. e. u. i. t̄. u. l. a. ; d̄. i. s̄. t̄. u. & d̄. i. g. n̄. u. e. s̄. t̄. q̄. d̄. n̄.
t̄. o. x̄. ḡ. n̄. a. t̄. c̄. o. p̄. a. c̄. t̄. i. o. . c. u. i. i. n. e. a. l. e. d̄. i. u. i. s̄. i. o. n̄. e. ḡ. n̄. a. t̄.
m̄. u. n. d̄. i. u. o. c̄. a. b̄. u. l. o. n̄. i. n̄. e. ḡ. r̄. u. e. a. c. c̄. i. p̄. t̄. i. l. l. a. s̄. p̄. e. c̄. u.
d̄. i. n. a. t̄. o. m̄. o. t̄. a. & u. a. r̄. i. o. l̄. i. d̄. e. r̄. u. o. r. n̄. a. t̄. u. e. n. s̄. i. g. n̄. a.
d̄. a. r̄. a. i. p̄. s̄. e. a. d̄. o. t̄. x̄. u. l. a. s̄. i. t̄. p̄. o. s̄. i. t̄. a. r̄. u. n̄. a. l. a. r̄.
c̄. i. n. c̄. e. p̄. s̄. a. e. r̄. u. u. o. l̄. a. t̄. . m. u. l. t̄. a. r̄. u. q̄. r̄. e. r̄. u. u. i. t̄. a. p̄.
& e. x̄. t̄. r̄. a. o. r. d̄. i. n̄. a. r̄. i. u. s̄. u. s̄. p̄. i. c̄. i. t̄. . e. u. e. n. t̄. i. m. m. u. n. e. n. t̄.
m̄. o. a. n̄. a. t̄. h̄. e. m̄. a. t̄. i. c̄. i. s̄. p̄. d̄. i. c̄. a. t̄. . I. u. l. i. u. s̄. t̄. a. r̄. a. r̄. u. q̄. u. i. q̄.
m̄. e. t̄. & q̄. u. e. l̄. a. p̄. o. t̄. e. n. d̄. a. s̄. i. g. n̄. i. f̄. i. c̄. a. n. t̄. . u. e. l. m̄. o. x̄. f̄. a. c̄. i.
f̄. a. c̄. e. r̄. e. q̄. ū. e. p̄. u. e. n̄. i. u. n. t̄. . S̄. e. d̄. h̄. u. i. a. p̄. r̄. u. n. c̄. i. a. r̄. e. ; A. t̄. i.
u. i. e. u. e. u. o. l̄. e. r̄. u. s̄. n̄. o. c̄. i. u. a. d̄. e. c̄. e. r̄. n̄. a. t̄. . m̄. a. ḡ. n̄. a. c̄. a.
p̄. l̄. e. n. d̄. i. s̄. s̄. i. m̄. a. c̄. i. r̄. u. a. p̄. o. u. i. t̄. i. c̄. e. l̄. e. r̄. a. f̄. a. c̄. i. e. n. d̄. a. d̄. e. i.
an.